

stoli, infinitiq; martyres diuinitatis Christi testes multiplicibus tormentis occisi sunt. Omnes autem isti non alia ex causa, quam quod isti sanctius de Deo sentirent, quam isti mundi sapientes. Ecce hi qui sic in paupertate spiritus, puritate cordis, & pace conscientie paruuli, & humiles sunt, parati etiã sanguinem pro veritate effundere, hi inquam sunt quibus solis datur illa vera & deificans sapientia qua nos in deorum beatorum choros refert, ac in similes beatos deos trãformat, Sicut hæc nos clare docet Christus, inquam: Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum Dei. Beati mundi corde, quoniam ipsi DEVM videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum: Melius est ergo & vilius idiotas & nihil omninò scientes existere, & per fidem & per charitatem credere, & proximum fieri DEO, quam per subtilitates scientiarum elatos & superbientes cadere in possessionem serpentis. Sic legimus in Euangelij, quomodo Christus ab idiotis, à rudi plebecula, & simplici populorum turba susceptus est, qui à principibus sacerdotum, à legisperitis, à scribis, à magistris & rabbinis respuebatur, condemnebatur, & ad mortem vsque persecutus est: hinc & Christus ipse apostolos suos non rabbinos, nō scribas, non magistros, nec sacerdotes elegit, sed è rudi vulgo idiotas, omnis literaturæ penè expertes, inscios & asinos.

Ad Encomium asini digressio,  
Caput C II.

**S**ed ne quis me calūniatur, quod Apostolos vocarim asinos, ipsius asini mysteria paululum quidem sed non extra præpositum digredientes, paucis explicabimus. hunc enim Hebreorum doctores fortitudinis ac roboris excelsi, patientia q; & clementiæ symbolum esse exponunt, eiusq; influxum à se-

phiroth, quod hochma, hoc est, sapientia dicitur, dependere. Eius namque conditiones sapientiae discipulo necessariae maxime sunt: vivit enim exiguo pabulo, eoque qualicunque contentus, toleratissimus penuriae, famis, laboris, plagarum, negligentiae, omnisque persecutionis patientissimus, simplicissimi ac pauperissimi spiritus, ut ne inter lactucas et carduos discernere sciat: corde innocenti ac mundo, ac bile carens, cum omnibus animantibus pacem habens, omnibusque oneribus patienter dorsum supponens, in quorum remunerationem caret pediculis, raro morbis afficitur, tardiusque, quam vllum armentum deficit. Plurima, inquit Columella, asini et necessaria opera supra portionem respondent, cum et facilem terram aratro proscindat, et non minimo pondere vehicula trahat. Iam vero molarum et conficiendi frumenti penes solennis est huius pecoris labor, omne rus tam necessarium instrumentum desiderat asellum, qui pleraque utensilia et vehere in urbem et reportare collo vel dorso commodè potest. In augurio etiam, quam salutaris nuntius sit asinus, testatur Valerius de C. Mario, qui olim Austri et Aquilonis domitor tandem patriae hostis declaratus, et à Sylla persecutus, consultore ac duce asino Syllae minas evasit, asinum authorem fugae et salutis habuit. Iamque etiam in veteri lege sic asinum Deus ipse honoravit, ut cum iuberet omne primogenitum occidi in sacrificium, solis asinis cum hominibus pepercit, videlicet permittens hominem pretio redimi, et pro asino ouem commutari: hunc, quae constans fama est, Christus suae natiuitatis testem esse voluit, in hoc è manibus Herodis saluari voluit, atque ipse asinus etiam contactu corporis Christi consecratus crucisque signaculo insignitus: nam Christus ipse pro redemptione humani generis triumphaturus ascendens in Hierusalem, testibus Evangelistis, hunc vectorem conscendit, sicut id magno mysterio per Zachariae oraculum praedictum fuit: et ipse electorum pater Abraham asinis tantum equitasse legitur, ut non inane sit illud apud vulgus  
vetus

vetus proverbium, quo dicitur: *Asinum portare mysteria*, quo nunc ego vos egregios illos scientiarum professores, quinimo Cumanos asinos admonitos volo, quod nisi humanarum scientiarum depositis sarcinis, ac leonina illa (non quidem à leone illo de tribu iuda, sed ab illo, qui circuit rugiens & querens quem devoret) mutuata pelle exuta, in nudos & puros asinos redieritis, esse vos portandis diuinæ sapientiæ mysteriis omnino penitusque inuitiles: neque verò Apuleius ille Megarensis ad Isidis sacra mysteria vnquam admissus fuisset, ni primus è philosopho versus fuisset in asinum. Legimus diversorum animantium miracula, elephantem græcos pinxisse characteres, eundem etiam Aristophani Grammatico riualem Stephanopolidem puellam adamasse tradit Plutarchus, quin & draconem adamasse puellam Aetholidem apud eundem authorem legimus, eundem etiam suum seruasse nutritium, & ad agnitam vocem accurrisse à multis creditum est. Et apud Plinium legimus, aspidem ad mensam cuiusdam quotidie venire solitam, cum sensisset ab vno catulorum suorum hospitis filium interemptum, in violati hospitij pœnam necem intulisse catulo, nec postea præ pudore in tectum id reversam. Recenset idem pantheram ob eductos è fovea catulos retulisse homini gratias, & extra solitudines eductum in viam publicam restituisse. Iam verò & Cyrum à cane & Romanæ vrbis conditores à lupa nutritos, cum essent expositi, celebratum est. Træseo delphinarum miracula, & leonum agnita beneficia relatasque gratias. Taceo vrsam Dauniam ac bouem Tarentinum à Pythagora mansuefactos, horumque similia permulta: sed quod omnium prodigiorum vincit admirationem, Ammonius Alexandrinus summus suo tempore philosophus D. Origenis & Porphyrij præceptor, asinum sapientiæ auditorem illis condiscipulum habuisse legitur: quin etiam ex sacra biblicorum historia scimus asinum aliquando prophetico spiritu donatum. nam cum Balaam vir sciens & propheta exiret, vt malediceret populo

Israel, angelum Domini non vidit, vidit autem asinus, & humana voce ad scissorem Balaam locutus est. Sic inquam sœpissime videt simplex & rudis idiota, quæ videre non potest depræcatus humanis scientiis scholasticus doctor. Nonne Sampson in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum percussit, & deleuit viros Philistæorum: sciensq; oravit Dominū, quia aperuit molarem dentē in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ viuæ, quibus haustis refocillati sunt spiritus et vires eius? Nonne Christus in bucca asinorum suorum simplicium & rudium idiotarum apostolorum & discipulorum suorum vincit & percussit omnes philosophos gentium & legisperitos Iudeorum, omnemq; humanam sapientiam prostravit atque confecit, propinans nobis ex illorum suorum asinorum maxilla aquas vitæ & sapientiæ æternæ? Iam verò in Ecclesiasticis historiis & sanctorum gestis varia & multa legimus illorum precibus in diversa animalia collata diuino munere beneficia: verum nullum vnquam animal à mortuis suscitatum legimus, præter asinum illum quem B. Germanus Britonum Episcopus in vitam revocauit, quo insigni miraculo ostensum videtur, asinum ipsum etiam post hanc vitam participare immortalitatis. Ex iis igitur, quæ iam dicta sunt, Sole clarius liquet, nullum animal tam esse diuinitatis capax, quàm asinum, in quem nisi verfi fueritis, diuina mysteria portare non poteritis. Proprium id olim apud Romanos Christianorū nomen erat, vt vocarentur asinarij, ipsamq; Christi imaginem asinini auribus pingere solebant: testis horum est Tertullianus: quocirca iam non indignentur, nec sibi opprobrio dari putent nostri pontifices & abbates, si apud istos scientiarū giganteos elephantes asini sint atque vocentur, nec miretur Christianum vulgus si apud istos Ecclesiarum præfectos & sacrorum nostrorum mystas, quò quisque doctor est, tãtò inter reliquos fiat paucioris: non enim faciunt ad asinorum aures luscinarum cantus et moduli, atque nec asinorum insuauem & mini-

minimè musicum rugitum ad lyram consonare in proverbio est, atq; tamen ex asinorum osibus exempta medulla omnium optimæ sunt tibiæ, quæ spiritu inflatæ, sicut omnium auium eloquentissimam canoritatem, ac cuiusq; lyræ aut cytharæ elegantissimos sonos longissimè superant atque vincunt, ita relictissimi isti idiotæ suo asinimo clangore omnes loquacissimos sophistas superant atq; percellunt. sic legimus nonnullos gentiliū philosophos ad Antonium visendum venisse differendi gratia, & breui sermone abs eo captos, cum rubore & verecundia abscessisse. Legimus etiam simplicem & idiotam hominem quendam in literis exercitatissimum ac versatissimum hæreticum paucis verbis devicisse, ac reduxisse ad fidem, quem doctissimi viri & episcopi, qui ad Nicænum concilium convenerant, diuturna & anxia admodum disputatione non poterant superare: interrogatus autem postea ab amicis, quomodo idiotæ cessisset, qui tantis restitisset doctissimis episcopis, respondit se episcopis facillè pro verbis verba dedisse: huic autem idiotæ, qui non ex humana sapientia, sed ex spiritu loquebatur, resistere nequiuisse.

#### Operis peroratio.

**V**OS igitur nunc ò asini, qui iam cum vestris filiis sub iugalibus iussione Christi per eius Apostolos veræ sapientiæ nuncios prælectoresque in sancto eius Evangelio soluti estis à caligine carnis & sanguinis, si diuinam hanc & veram, non ligni scientiæ boni & mali, sed ligni vitæ sapientiam assequi cupitis, proiectis humanis scientiis, omniq; carnis & sanguinis indagine atque discursu, qualescunque ille sint, siue in sermonum rationibus, siue in causarum perscrutationibus, siue in operum & effectuum meditationibus vagentur, iam non in scholis philosophorum & gymnasiis sophistarum, sed ingressi in vosmetipsos cognoscetis omnia: